

quidem audierat quod bene caneret: nam & si non propterea Veneri unquam litaverit, vanitati tamen & luxui in vestitu & vietu cubiculi ornatum facili prolapstone plus justo dederat. Deus tamen, qui ad magna ipsum profuit gloria & salute animarum destinaverat, ab his terribili revocavit spectro. Nam nocte ad quietem comparato larva quedam morti quam simillima cinerea induita veste conspiciebant se dedit, que tametsi presto evanuerit ab oculis, firma habet animo, qui admodum conteritus, quid sibi illa velit haud obscurè dignovit, atque Deo excitanti momentique ut à focordia & mundi somno exureret, obtemperandum illico secum constituit. Sub mane Cenobij Rectorem accessit, cui se omniaque hæc tenus quæsita submittit, multis exortans, ea ut unicè sibi permitteret, quæ expoliatum omnibus decent. S. Francisci alumnū.

Ex inde totius vitæ maculas sanctâ confessione eluit, vitæque tenorem agressus est qui hominem egregiè Sanctum & Apostolicum præsignificaret Parentem, eximis Seraphici Ordinis Proceribus merito comparandum.

296 Lachrymis totos annos quatuordecim ubertim effusis prioris jacturam temporis levit: jejunis, vigilijs, celijs, flagellis, id que genus alijs asperitatibus jugiter, quo ad vixit, in se pia crudelitate defevit: orationi & cœ-

lestium contemplationi rerum incubuit: prædicationi pro extirpandis vitijs, etiamnum Lectoris detenus onere, multo cum animarum lucro invigilavit, tan-taque virtutum specimina dedit, ut exemplari ijs esset, quibus forsan pristina levitate fuerat scandalio, jamque inde portenderet quanta olim per se sectatoresque suos bona esset populis tradituras.

297 Destinatus à Provincia Custos pro Comitijs Ordinis generalibus, suffragia daturus in eis, Hispaniam anticipatò, Superioribus annuentibus, petiit, ut quod moliebatur in Dei gloriam opus insigne, maturare & disponere posset. Eò deductus, & facultatibus pro re obtentis amplissimis, Apostolicis per integrum anuum concionibus Balcanes per-lustravit Insulas multis relatis fructibus, è quibus redux, Barcinonæ & alibi Catalaunia idem munus obivit, cui etiam instituit apud Mantuan Carpantanorum peregregiā & sermonibus habitis, auditis confessionibus, pijs alijsque exercitijs, segete in Dei horum relatā. Hac inter, multa peregit alia, Comitijs Familia, quæ Toleti fuitant indicata, suffragator interfuit, & quod primas ferrebat in animo negotium faustè expedivit, facultatibus pro instituendo in America de Propaganda Fide Collegio obtentis amplissimis, proque ad id conquerendis 24 Sodalibus. Hos ut deli-

geret multas Ordinis lustravit Provincias, atque ultrò sibi oblatos macte virtute homines secum tandem in Americam duxit. E Portu Vræ-Crucis pedes Mexicanum petiit frequentissimā in itinere prædicatione, confessio-num auditione, & mirabilis exemplo viræ populis utilissimus per que gratis, Collegium apud Queretarense ē Cenobio, quod Provinciæ SS. AA. Petri & Pauli Michoacanensi suberat, à Lapidea Cruce multis clara prodigijs insigne, Constitutionibus ab Apostolica Sede approbatis, sub titulo de Propaganda Fide faustè instituit atque feliciter, ut ex eo fecundissimo Seminario viri prodirent Apostolico nutriti adulti-que spiritu, cùm pro Infidelibus ad Ecclesiam traducendis, tum etiam pro Christianis revocandis à vitijs, quæ furtim irrepunt, & virtutibus instituendis, Apostolici excursionibus, quas Missiones dicimus.

298 Rèbus Instituti prudenter exponoque viri dispositis, qui & Dei in Choro Ecclesiisque cultum, & Proximorum salutem affidue curabat; omnia ut solidius componeret, & alia institueret Collegia, quæ eodem regerentur spiritu, extrahendisque in colonias Socijs Seminaria essent, iterum in Hispaniam se contulit, inde Romanam adivit, ubi ē voto succedente negotio, Hispaniæ reli-tutus, Iex, prout optayerat, in varijs Provincijs Collegia consti-tuit, factus sub inde Institutor & Parens septem Collegiorum, quibus postquam ipse ad superos evolaverat, alia accessere multum insignia, ut Goatemalense, Zaca-tecanorum, & Mexicum in India nostra, ut interim taceamus forsitan Europe addita. Quæ porro in Dei honorem, & salutem animarum iude emanaverint, multis vix dici Libris possunt, ju-stoque volumine nuper edito a P. F. Ilidoro de Espinosa copta sunt bono in lumine collocari, quorum post Deum Author fuit No-ster.

299 Sanè, ut ardentissimo Dei flagrabat amore, & eximiè ignescerat adverius Proximos charitate, hoc homines igne corripere satagebat. Frequentissime Provincias circumibat sacris ut concionibus sceleratos argueret, frugique auditores in officio continueret, deduceretque in cœlestia quam plurimos. Hinc apud Mexicanos & Michoacanenses dixit cum Sodalibus Apostolico more plutis, & multas Hispaniarum Urbes, Villas, Oppida prædicando lustravit, tanto conatu, ut in una regis Curia centum vi-ginti continuis diebus sermones ferventissimè haberet. Multories inter concionandum admirabiles extases patiebatur, stupentibus qui aderant, indeque proficienibus, ipso dein propria demissione impensius addicto. Erat enim deficitia sui insignis, aquaque patientia, mortificatione,

pertate, oratione, ceterisque egregiis virtutibus. Adhac propheticō illustratus lumine, alijsque divinis ornatus charismatibus, multis in Dei gloriam perfunctus laboribus, in Cœlestes, Deique in primis Genitricem labis expertem religiosissimus, Apostolicam vitam sanctissimè clausit sacris ritè munitus in Regio S. Francisci Madritano Cœnobio 29. Junij anno 1693, ætatis 38. & religiosæ vitæ 40. fuitque ipsi, cùm in ea Curia, tum etiam Majoricæ, & Americæ apud Collegium Queretarense suum solennissimè parentatū. Ejus vitam floridissimo, quo pollet, stylo, latè & studiè rededit in litteras præcitatius P. Isidorus de Espinofa in Chronicis Apostolicis Seraphicis Collegiorum de Propagandâ Fide Franciscanorum de Observantiâ Regulari in Novâ Hispaniâ, parte prima integris duobus libris 2. & 3. à pag. 93. ad 250. Quo teste scripsit

*Philosophie Cursus,*

Quem Discipulis è Cathedra dictavit, conservantque Sodales authographum.

In primum Sententiarum Subtilissimi Doctoris Scotti librum,

Quod opus non deduxit ad finem.

*De SS. Eucharistie Sacramento.*

Hispanâ verò lingua compausit exhibuitque Regi

*Libellum supplicem,*

Cujus multa citatus P. Isidorus fragmenta opportune suis inserta locis transtribit, reservat

que penes se integrum. Meminit ejus, nec sine multa laude P. Julianus Gutierrez Davila, in Monumentis historicis Congregacionis Oratorij Mexicanæ part. 1. lib. 1. cap. 9. pag. 36. n. 79. & part. 2. lib. 2. cap. 18. n. 234.

300 P. ANTONIUS LIZARDI, Natione Mexicanus, Patria Goaxacensis, Regalis & Antiquioris D. Ildefonsi Mexicani Collegij alumnus, Latinitate imbibita & Philosophiâ apud Maxima Soc. IESU Gymnasia, Aulasque Academicas, lauream coetancis prætulit, quâ donatus, utriusque professioni juris incubuit tam insigni conatu, diurnâq[ue] defatigatione ac nocturnâ, ut eximio superaddita ingenio, admirabilem sapientioribus Magistris scholarem ipsum præstiterit. Præter Scriptores, quos evolverat, nobilissimos, Canonica ex officio endantes jura & Civilia, Theojuristas clarissimos PP. Ludovicum de Molina, Thomam Sanctum, & Ferdinandum de Castropalao, Societatis IESU egregia lumina, ita sibi studio familiares rediderat, ut ipsorum ad litteram doctrinas referre confueverit, non modò in publicis palæstris, sed verò etiam in consuetudine cum Sodalibus familiari, Leges sacras iuxta & prophanas extempore memoria plurimas pro diversissimis materijs enarrans. His comparatus ad Scholastica certamina admirandis subsidij, totos 48 titulos innumeris scatentes &

intricatissimis controversijs, in Academiâ Mexicanensi per diem integrum defensandos exposuit, coram delibatissimo Sapientissimorum hominum flore, Praefide Illmô. D. D. D. Carolo Bermudez de Castro, Primario Pontificij juris Antecessore, Archicopoco postmodum Manilensi, qui in ultimâ etiam ætate, discipuli hujus cum primis memor, ejus in laudes profundebarunt, testatus, non ablique admiratione ipsum in collationibus quotidianis dicentem exceperit, argumentantem respondentemque, atque habentem in promptu non modo 48 disputationi expositos titulos, sed longe plures, quos arbitrio suo eligendos pro disceptatione tradiderat. Academicis cohonestatus gradibus, Regiam in Collegio suo trabeam, prælectione, idque genus alijs, petivit tenuit que pro meritis alios inter non exigui nominis candidatos. Magnam lictè honoris & lucri spem isthac afferent Minervam colent; unum tamen cœlum ambientum sibi constituit, & caducis valedicere rebus. Ingressus ergo Soc. IESU potiores curas suas in virtutibus posuit omnibus excelandis, quamvis Theologica nullus ipse studia prætermiserit pro Instituto suo, in quies, agrâ etiam valerudine fatigatus, multum profecit. Tantum porro ab humano commercio lecessit, in concclave abditus, silentijque tenax, ut Secundus Gregorius Lupecius

audierit, quod insignem istum Indianum Eremiticolam imitari visus fuerit. Denique Angelopolis Ministrum agens Collegij à S. Ildefonso nuncupati, decessit 28. Junij anno 1744, ætatis 50, in ita Societatis 25, & amplius: Professionis quatuor vororum 11 supra dimidium, egregiæ famâ Sanctitatis relicta. Scripsit

*De varijs ad utrumque Ius ardentibus arduis controversijs compensandum.*

Quod usui suo pro celeberrimi thesibus, quas memoravimus, propugnandis, confecisse multo volumine, à fidelissimis acceptimus & oculatis testibus, forteq[ue] apud suos schede manebunt cedro dignæ & levi servanda cupressu.

301 D. ANTONIUS LLERENA LASO DE LA VEGA, Natione Mexicanus, apud Antequeram præcipuum Goaxacensem Urbem nobilissimis Parentibus natus, quamvis ad Primogenia bona, satis quidem ampla, & ibi sita & in Villa de Ebla, materno sibi querenda jure destinatus, subindeque in statu vieturus prophano, ne dum Christianis institutus fuit & Politicis rudimentis, sed Latinis etiam & Philosophicis disciplinis, in quibus tam floruit, quam qui maximè, ut indicio est, secundum inter Condiscipulos locum tenuisse, qui non nisi provocetoribus honos & in Academiâ Mexicanâ, & in ejus Collegijs decernitur. Absoluto Phi-

AN

lophilicæ curriculo, Aulis se subduxit, libris tamen excolandis strenuam dedit operam, in primisque Poëtis delectatus, cùm latinis, tum etiati hispanis, quanta potuit ipsorum Opera conquisiuit, ac diurnâ nocturnâ que manu versavit. Nec sanè avelli à litteris potuit, multis quod muneribus incubuerit, que equidem decebant amplissimum virum, & obita exactissime glotiam homini cumularunt. Senatorem bis egit Antequerensem, novenio prius, dein haud exiguo tempore, donec id oneris recusavit. Ter Ordinarius renunciatus Judget in annum regie fuit de Republicâ Patriâque mortitus. Totos triginta annos Instrutor Legionum militiam professus, sub Pallade stipendia sic meruit, ut Minervæ donarijs affluxerit, togatusque & armatus insignis evaserit. Conjugio junctus tenuit multis stemmatibus clare, à Marchione de Torre Campo D. Thubilio Cosio, quondam Goatemalenfis Regni Præside per decennium, dein Insulis Philippinis dato Gubernatore, equestris Ordinis Calatravensis, Aureoque clavis insignibus decorato, legitimè genitè; non propterea Multis valedit atque Parnasso; fateturque, nullam sibi diem sine poëtica linea prolapsam annis triginta, tot tantisque Opusculis coditis, ut compacta tres in quarto tomos conficerent. Optandum quidem à cultoribus Facul-

AN

tatis, ut publicam, qua dignissima sunt, lucem climata carmina aspicerent. Religione adversus Seraphicum Parentem Franciscum dœctus eximiâ, ejusdem Vitam ab Illustrissimo Cornejo eleganti relatam stylo, rediget ad numeros, literisque mandavit in CCLX Epigrammata hispana, quae Decimas audiunt, quorum singulis latinum prefixit lemma, & in unoquoque Epigrammate integrum, ceu in indice, Vita caput conclusit.

Haud absimili tractus officio compositus hispanis item numeris, quos Octavas dicimus, pangendis heroycis aptissimis,

Vitam S. Ludovici, Episcopi Tolosani, ex Ordine S. Francisci.

Opus hoc, quod Author comodavit Amico legendum cuncti in Hispaniam, nec restituenti, dicitur typis traditum fuisse plagi, nullâ Nostrâ mentione, ceu profectum ab eo cuius nomine prostat editus.

Pro honorario exornando tumulo in Cathedrali Ecclesiâ Antequerensi construôti pijs manus Hispaniarum Reginæ D. D. Mariæ Aloysie metaphoram rosæ scutatus concinnuit.

Poemata latina & etiam hispana.

Parentibus viro claro qui fuerat à secretis Illustrissimo D. Fr. Angelo Maldonado Patriæ Antistiti, morem gerens, machinam Funebrem, Silentij umbram secutus, Defuncti expressit vitam, Carminibus utrâque lingua datis.

For-

211

AN

Fornicem Triumphalem pro excipiendo ab Ecclesiâ suâ Illmō. D. D. Didaco Philippo Gómez del Angulo, ejusdem Diœcesis Episcopo, illustratus, conscripsit Poemata & hieroglyphica Heroem adumbratum Sole expendit.

Tandem CL Epigrammata hispana S. Maria Magdalena nuncupata, penitentem fuisse lachrymis animum experimentia.

Et hæc quidem MSS quæ à testibus omni majoribus exceptione suscepimus, Lectoribus citra scrupulum nostris communicamus.

M. F. ANTONIUS LOREZ CORDERO, Natione Mexicanus, propè antiquam & celebrem Urbem Cholulam Angelopolos ditionis in lucem editus, honestis nec obscuris parentibus, piè ab ipsis & laudabiliter educatus, animum applicuit ad litteras, & latinas quidem ut diseret, Collegium S. Petri quod Tridentino Seminario à S. Joanne dicto adjacet, Angelopoli frequentavit multo cum fructu; pro Philosophia autem audiendâ in Regio S. Ludovici Dominicanorum Collegio discipulis se junxit Magistri Alfonsi Gil, ejusdem Ordinis viri doctissimi, atque una cum sisthennate Aristotelico Thomistico, quo optimè fuit imbutus, pium erga Institutum Prædicatorum amorem imbibit. Sacro cum habitu induit in Conventu Primario Angelopolitanô Provinciæ S. Michaelis & SS. Ange-

G2

pre-

prehensa, asservantque sub inde  
egregio prelio.

303 Hæc inter laudes non  
à doctrinâ tantum sed à mode-  
stia tulit eximias, quod in Aca-  
demicis ita se gesserit certaminibus,  
ut aculeatas pro arguen-  
do difficultates ita proponeret, ut  
casas doctri quique & tyrones ca-  
perent, citra tamen strepitum &  
conclamationem, queis, ardore  
perciti scholastico, abutuntur non  
nulli, ipse vero mansuetudine &  
humilitate ab eis abhorrebat. Por-  
rò nihil habuit antiquius, quā ut  
has coleret ceterasq; virtutes, qua  
propter ipsarum etiam Magister  
a Superioribus institutus fuit no-  
vitijs ad Religiosam vitam for-  
mandis. Collegium itidem studio-  
rum ita rexit accuratissimè, ut  
scholarium in scientijs juxtaque  
moribus profectui totus invigi-  
laverit. Ut vero natus fuerat ad  
plura, cunctisque obtemperare  
consueverat Superiorum iussioni-  
bus, Valetudinarij Praefectus co-  
huic libentius muneri incubuit,  
quod & humilitati & charitati  
exercendis copiam faceret: Agro-  
ris siquidem præsto aderat, mor-  
tique proximos industrie pro re-  
cipiendis Sactis parabat, corpo-  
rum curæ majorem pro anima-  
bus adscians. Adhac, exteros  
etiam in spiritualibus juvandi  
causa, conciones habebat docti-  
simas ferventissimasque, id uni-  
cè curans, ut in Dei gloriam &  
auditorum salutem cederent.

304 Cetera, vitam sic tra-

duxit, quoad sibi licuit, alijs,  
qua subierat, levato oneribus,  
ut raro per annum Matrem in-  
visurus egredetur è Monasterio,  
quam tamen ad januam  
quandoque venientem alloque-  
batur, cuique his subveniebat,  
qua à Missarum stipendijs, pen-  
sisque religiosis sibi obtigerant.  
Cellam libens inhabitabat, è qua  
nisi pro communibus Cœnobij  
functionibus, aut spiritus negotio  
recedere religioni sibi erat. In eam  
receptus, aut etiam in chorū, quo  
tempore noctis aliò Sodales ade-  
rant, cœlestium vacabat medita-  
tioni, & pijs alijs exercitationi-  
bus incumbebat. Hinc, pictate  
in Deum resplenduit eximiâ,  
tum in primis cum ad aras fa-  
ciebat, observantiæ Ecclesiastico-  
rum rituum exactissimâ, dévotissimâque  
préparatione. Erga Dei  
parentem multo erat amore, cu-  
jus Rosarium ferventissimè pré-  
dicabat. Regulas Instituti obser-  
vabat ad unguem, omniumque  
exemplis virtutum vigebat, pa-  
tientia, obedientia, mortifica-  
tionis, abstinentia, aliarumque.  
Eminuit vero in colenda pauper-  
tate, adeò ut etiam Provincialis  
munere insignis, cellâ omni  
destitutâ ornatu, vel eo qui Re-  
ligiosos decet egregie reformatos,  
nulli in paupertate concedere,  
præterque nullius pretij per-  
necessaria utensilia, eo mortuo,  
inventum fuerit nihil: peræque  
coluit humilitatem, tantâ sui  
despicienciam, ut indignum cre-  
de-

deret se qui urbane tractaretur  
vel ab infirmâ plebe. Non nun-  
quam Sodali suo familiariter per-  
cunctanti, cur Magisterij lauream  
pro suis in Ordine laboribus da-  
to in Comitijs libello non perte-  
ret, statim evangelicum illud re-  
posuit: *Nolite plures Magistri fieri.*  
Nec vero honorem illum tandem  
aliquando fuit natus, nisi defini-  
toribus pro eo apud Ordinis Genc-  
ralem Magistrum agentibus.  
305 Tantis propterea allechi-  
doribus PP. in Comitijs Provin-  
ciæ anno 1728. habitis, reluc-  
tantem Præfulem sibi voluer-  
unt, nolentemque volentem,  
domesticis exterisque plaudentibus,  
Provincialem salutarunt at-  
que Parentem. Statim Ordinatio-  
nibus prudentissimè conditis, ijs  
proluit, qua deinceps magno  
cum familiâ emolumento pere-  
git. Universam, qua latissime  
patet, Provinciam, ne uno qui-  
dem Cœnobio relicto, diffito  
quamvis aut exiguo, bis perlustra-  
vit, biennio & quinque mensibus  
poritus officio, viribus destitutus  
agrâque valetudine afflicetus. For-  
titudinem vero zelumque Dei  
gloria, & ecclesiastica ac religio-  
se disciplina, occasione data, mul-  
tis ostendit: nam Clarissimo vi-  
re, & a quo beneficentissime fue-  
rat tractatus, quandoque peten-  
ti quod extra piaculum se non pos-  
se concedere judicabat, abnuit,  
multorum propterea subiens in-  
vidiam, criminationesque pal-  
sus accerbis, ne Apostolicis contrai-  
deret Decretis, aut quod idem esset,  
contortis interpretationibus ipsa  
eluderet. Gravius tamen fuit illi  
domestica, sub indeq; ecclesiastica,  
negotia à prophanis subsellijs ope-  
role subdueere, nihil interim fa-  
ciens honoris jacturam proprij,  
exilium, cui ferendo præsto erat,  
aliaque permulta, qua subiit  
amara, donec positis in aperto  
rebus, sua omnibus innotuit inte-  
gritas. Demum, in suburbanum S.  
Pauli strictionis observantiae Con-  
ventum receptus, per inde qua-  
si mortem opperiretur, nedum  
Choro cum talibus intererat,  
ceterisque exercitijs, verum alijs  
etiam incumbebat, qua funus  
præsagire sibi indicabant, quod  
non multo post, insperato reli-  
quis, fuit indictum: nam quam-  
vis gravari ægritudine fenserit,  
non propterea decubuit, nec à  
Choro absfuit, vel abstinuit à sa-  
crificando, donec 3 Octobris ma-  
ne inventus est è vivis abiisse, an-  
no 1730. eratis 51. mense  
una cum Dominicanis PP. om-  
nibus Angelopolitanæ Civitatis  
Ordinibus, iustaque persolven-  
tibus, qua decebat pompâ gra-  
vissimâ, certantibus cum è So-  
cietate Jesu, tum etiam è Clero  
Seculari, & alijs eruditis homi-  
nibus tumulum eximijs cumula-  
re & ad numeros conceptis elo-  
gijs, Franciscanisque alumnis &  
latinâ Oratione & hispano Ser-  
monè 5. & 6. Novembribus defun-  
cti virtutes actaque plaudentibus.  
Porro, elaboratum à M. Fr. Joan-

## AN

ne de Villa Sodali suo pro funebri mole Epitaphium ita habet.  
*Voces Piorum Manium R. Admodum P. Mag. Fr. Antonij Lopez Cordero & Leon, S. Inquisitionis Officij Qualificatoris, hujus S. Michaelis & SS. Angelorum Predicatorum Eparchie desiderati Patris ac Presulis.*

*Siste Viator, & Audi,  
En affor extinctus, qui vivens filui.  
Sedi, quoad vixi, solitarius, & tacui;  
quia levavi me supra me.  
Facundum me mors nunc facit,  
qua & stravit subitus, & levavit me  
supra te.  
Siste, & audi; que vera sunt non  
diffitare.*

*Agnus apellasti? Me nosti:  
Cognomine definiebas.  
Agnus quidem, non è grege, sed  
egregius; mitissimum me natura:  
humillimum gratia fecit.  
Patre Agno, Matre Leana pregnatum  
vel monstrum diceres, vel miraculum.  
Dic mysterium.*

*Nomina & omnia:  
Ut qualis futurus essem, etiam  
gentilium monstrarent.  
Vide cui similis.  
Leonem is nesciuit & Agnum,  
qui Deum & Hominem.  
Hoc solo ( ut ille ) Leo victor,  
quod nullum codicem  
non aperni;  
nullum difficultatis sigillum non  
referavi.*

*Caterquin semper Agnus.  
Nil mihi praeter vellus, nil charius,  
nil pretiosius;*

## AN

*ne Phrixcum quidem,  
Si quando ad infantes aureis mordax  
forceps striduit,  
Agnus obmutui, & non aperi  
os meum.  
Ut innoxia pecudis victimam  
litarem Deo,  
me Agnum obtuli, & quidem  
immaculatum.*

*Pro ara conscientiam, pro cultro legem,  
Sensum pro jugulo, mentem pro  
Flamine,  
pro flamma amorem habens,  
juge cremabar Numinis holocaustum,  
quotidie moriens.  
Et quid ( rogas ) tam celeris mors  
me sustulit?*

*Parum opere impedit in Agno  
tamquam occiso.  
Num moraretur ut unum tolleres  
Tanquam?  
Pepigeram fædus cum morte,  
ut Mundo me prior perirem.  
Facto: residuum facile absolvit.  
Vis scire quid?*

*Mundo spiritui exiguum pulveris  
momento temporis quassit.  
Nec dicas celerem mortem, que unum  
supra quinquaginta annis maturuit.  
Spiritum solitum superos adolares,  
Mors non distulit; sed fitit.  
Non hoc egit ut migraret; sed ne  
rediret.  
Spiritus sepe vadens, semel non rediens.  
Audisti viator & perges  
& ne luge; sed invide.  
Beati mortui, qui in Domino moriuntur.  
Anno a Christo n. 1500 MDCCXXX.*

## AN

*Vitam preclare Virginis & dulcissime Sponsæ Iesu Christi Domini nostri S. Agnetis à Monte Policiano.*

*Prodijt post huma curis & additionibus cruditis precitati M. Villa, qui & Authoris vitam ad calcem adjunxit à p. 226. ad 260. Angelopoli, ex Typographiâ Vidue Michaelis de Ortega & Bonilla 1744. in quarto.*

*Etsi plures doctasque conciones conscripserit, una in honorem ejusdem S. Agnetis reliqua est, quod statim ac illas dixrit e suggestu, flammis tradiderit, nibili clucubrationes suas habens.*

*Latino sermone condidit  
Geminum Philosophiae Cursum,  
primum latiorem; contractiorem secundum, quem sub inde magni habent doctissimi Magistri, servant que MSS. ut in Authoris vita legit est.*

*306 FR. ANTONIUS DE LUNA, Natione Mexicanus, & ni fallimur, Patria, Ordinis S. Francisci in Provincia S. Evangelii alumnus clarissimus fuit, æquè ab utriusque suggestus peritiae merito commendatus: nam sic Philosophiam Theologiamque ad Scotti mentem in palestrâ Scholæ tradidit, ut absolutâ quindecim annorum periodo, & Emeriti gloriam retulerit, & egregium sibi nomen, quod etiamnum celebratur, apud Minervæ cultores & Proceres coparaverit. Quod vero ad pulpita sacra spectat, non minor laude donatus ab aequissimis rerum estimatoribus adhuc*

## AN

*habetur. Discipulos instituit egregios, quos inter caput extulit in Oratoria Evangelica paucis comparandus Fr. Joannes Antonius Perez, qui, ut & alij, haustam ab illo multam eruditioem dicens scribendoque fatebatur. E pluribus scriptis ejus, vidimus tantum habitas à se vernacula lingua conciones.*

*De S. Didaco, Angelopoli, ex Officina Heredum Joannis de Villareal 1700. in quarto. Habetur tom. 54 Collect. nostr.*

*In Dedicatione Novi Franciscanorum Templo Mexicei. Mxici, typis Heredum Joannis Josephi de Guillena Carrasco 1717. in quarto. Exstat eodem tom. Collect. nostra.*

*Optamus ut à Socijs ejus adiiciantur*

*Tractationes Philosophicae atque Theologicae Opusculaque reliqua.*

*Meminit ejus Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 111.*

*307 D. ANTONIUS MALDONADO, cuius Natio latet & Patria, Mexicanus ut minimus Domus, & in Regia nostrâ Cancelleria pro iuribus regalibus tuendis Fiscalis, unus ex his fuit, & primus quidem, qui egregio Collectionis Legum pro Indijs datarum Operi manus admovit, cui ut Rex noster favret, suas anno 1556. litteras expedivit: fuit autem illud hispano sermone*

*Repertorium Schedularum, alias  
Sanctionum Regalium America regimèn concernentium.*

AN

Ur ex D. Antonio de Leon  
in Epitome Bibliothecæ Indice  
titulo 22 Occidentalis partis re-  
fert D. Nicolaus Antonius in  
nova Hispania Bibliothecâ tom.  
1. p. 112. In Editione verò novissi-  
mâ Madritanâ Leonis Pineli ha-  
beatur tom. 2. col. 819.

308 F. ANTONIUS DE MAN-  
CILLA, Natione Mexicanus, in  
ipsa Imperiali America nostrâ  
Urbe à clarissima stemmatibus  
genti duxit originé. Genitor ejus  
inter Civitatis Rectores adlectus,  
avito sanguini nobilissimo no-  
vum decus adjecit, aliquo ex  
Familiâ non absimiliter. Noster  
litteris & virtutibus initiatuſ à  
puero, Franciscanis PP. Provin-  
ciæ S. Evangelij, emissis soleſni-  
teter votis, Sodalem ſe adjunxit, &  
adeo ſpectabilem fecit ſtudijs &  
geliſis, ut Lectoris Philosophiæ  
primum, dcinde Theologie mu-  
nus injunctum ſibi, multo & ſui  
& Familia ſplendore ſit executus,  
optimèque audierit apud Docto-  
res, ſive Praes adfuerit in Au-  
lis, ſive concertator dixerit ē ſub-  
ſellijs. Hac de cauſa exactis ſta-  
tutis curriculis Emeritus eſt renun-  
ciatus, & à Fidei Quesitoribus  
Theologus pro ferendis Cen-  
ſuris adlectus. Magistri quotidianis  
pensiſ admodum gravibus, addi-  
tis sermonibus frequentiſlimis,  
peraq̄ue his illisque ſatisfecit,  
tamque in Oratoria insigniſ eti-  
habitus, quam in Theologicâ Fa-  
cultate, ſuas ita conſiones ad ar-  
tis praefcripta tornatas ſapien-  
tia

AN

bus exhibens, ut ab illiteratis  
etiam celebrentur; & porro ar-  
gumentorum gravitate, ſenten-  
tiarum pondere, eruditioñis ad-  
res natæ copiâ, dicendi facundia,  
ſtyli proprietate, cogitandi acu-  
mine, & ceteris ita dobitibus erat  
prædictus, jure ut maximuſ fuerit  
habitus. Prudentia itidem & re-  
gulari diſciplina confictus, plu-  
ribus & primarijs Cenobijs pre-  
poſitus, non sine laude munus  
exegit, ut propterca rōti ciām  
à Comitijs Provincialibus Famili-  
æ Mexicanæ regendæ Praefat  
fuerit electus, Paterque poſt-  
modum multis annis audiſit. Libris ad extrellum uſque vita,  
forſan ſeptuagenaria majoris, de-  
ditus, Oloris inſtar morti proximus  
dixit ē ſuperiori loco die 9  
Junij 1747. & ut ſe gravatum  
valetudine ſenſerat, funus prope  
ſibi prædictis, concionem, que  
edita eſt, ſic aufpicatus: Ergo ne  
tandem dicturus veni? Certi veni di-  
cturus tandem. Scilicet, affecta me-  
valetudo corporiſque imbecillitas mo-  
ment, futurum hunc sermonem no-  
viſſum. Qod dein exordium no-  
bilissima excepit Oratio in Iefu-  
Christi Cordis elogium amore-  
mque, eximiâ & religione & erudi-  
tione composita. Ipſe vero  
quam opperebatur præſagietat  
que mortem, non multo post af-  
pexit, Sodaliſ & extremitate ſu-  
ſiderio relato.

In extrema, quam mox inſu-  
nuavimus, conſione habitâ & edi-  
ta, Cenfuram legimus datam a

Pro-

AN

Procuratore Generali omnium  
quaे vigeant in Novâ Hispaniâ  
S. P. Francisci Provinciarum, vi-  
tro admodum docto F. Sebaſtia-  
no de Gama, teſtante Noſtri  
elucubrations typis commiſſias  
ſupra quinquaginta eſſe, fu-  
turosque toridem tomos, ni ipſe  
præ humilitate obſtitifſet. Nec  
Cenſorem à verò receſſe ſuſpi-  
cabuntur, hominis qui acta &  
doctrinam noverint. Res ſane ē  
voto nobis accideret, ſi videre  
MSS & recenſere licuiffet; ex editis  
quamvis plura haec tenus nos effu-  
giant Opuſcula, quaे invenire po-  
tuimus lunt ſequentia.

Panegyrica Oratio in ſolenni Al-  
taris erectione S. Nicolai Epifcopi no-  
mine inſignis apud Templem Reli-  
gioſorum Beſtilemitarum. Mexici, apud  
Michaēlem de Ribera Calderon 1703. in quarto. Extat tom. 100. Collec-  
t. noſtræ.

Panegyrica Oratio de S. Jaco-  
bo Hispaniarum Patrono. Mexici,  
typis Hæredum Francisci Ro-  
driguez Lupercio 1708. in quarto. Extat tom. 94. Collec-  
t. noſtræ.

Panegyrica Oratio habita in ſolenni  
Indulgentiarum publicatione qua  
Sodalitio à SS. Trinitate Mexico  
beneficiantia Sedis Apoſtolica conces-  
ſa fuere. Mexici, eisdem litteris  
1709. in quarto. Habetur tom. 74. noſtræ. Collect.

Panegyrica Oratio de Proto-Pa-  
rente Seraphico S. Franciſco. Mexi-  
ci eisdem formis 1714. in quarto. Ex-  
tat tom. 11. diſtę Collect.

His adſciant Sodales amabi-  
mus MSS

Cur-

AN

Panegyrica Oratio de Patrocinio  
SS. Iosephi Deigeniricis Sponſi.  
Mexici, ex eadem Officinâ 1714.  
in quarto. Invenitur tom. 68 mora-  
te Collect.

Panegyrica Oratio de Immacula-  
ta SS. Virginis Conceptione. Mexi-  
ci, ex eadem Typographiâ 1719.  
in quarto. Habetur tom. 70 Co-  
llect. noſtræ.

Panegyrica Oratio de Proto-Pa-  
rente Divo Petro in Ecclesia Me-  
tropolitana Mexicana. Mexici, apud  
Ortega Bonilla 1722. in quarto.  
Extat t. 20. ejusdem Collect.

Panegyrica Oratio de inſigni mi-  
raculis Imagine Deiparentis ſub ti-  
tulo Vallis-Venarij. Mexici, è Do-  
mo Iofephī Bernardi de Hogal  
1725. in quarto. Habetur tom.  
17. Collec- noſtræ.

Panegyrica Oratio de S. Joanne  
de Deo. Mexici, formis Lupercia-  
nis, eodem anno, Extat tom. 14.  
ejusdem Collect.

Panegyrica Oratio in Viſitatio-  
ne Virginea. Mexici, operâ Ty-  
pographorum Lupercij 1726. in  
quarto. Legitur tom. 95. Collect.  
noſtræ.

Panegyrica Oratio de S. Antonio  
Patavino. Mexici, è torculis Jo-  
ſephī Bernardi de Hogal 1727.  
in quarto. Habetur tom. 74.  
noſtræ. Collect.

Panegyrica Oratio de SS. Iefu  
Corde. Mexici, signis D. Mariæ  
de Ribera 1747. in quarto. Ex-  
tat tom. 11. diſtę Collect.

His adſciant Sodales amabi-  
mus MSS

III

*Cursus Philosophicum.*

*Tractationes Theologicas, & alias Concessiones.*

Meminit ejus Bibliotheca Franciscana tom. i. pag. 111.

X 309 FR. ANTONIUS MAZO, Natione Mexicanus, Patria Zelaiensis apud Diocesum Michoacanensem; Istritoria S. Francisci Instituta professus est in Provincia Mexica nudipedum à S. Didaco nuncupata. Philosophiâ imbutus atque Theologiâ, utraque Facultatem in domesticis Gymnasijs edocuit, triennio posito in Aristotele juxta Scotti mentem interpretando; duodennio autem in Theosophia recessibus penetrans ducere Magistro Subtilissimo. Adhæc sacras conciones frequenter habuit doctas & eruditas, Praefecturis inclaruit, Deffinitoremque agit in præsentiarum. Habet penes se MSS, quæ subdimus opera. Sunt autem

*Cursus Philosophicus*, in quarto.  
*Tractatus de Deo ut Uno*, in quarto.

*Tractatus de Deo ut Trino*, in quarto.

*Tractatus de Deo intelligenti & volente*, in quarto.

*Tractatus de Visione beatifica*, in quarto.

*Tractatus de Beatitudine*, in quarto.

*Tractatus de Providentia divina, Predestinatione & Reprobatione*, in quarto.

*Tractatus de Angelis*, in quarto.

AN  
*Tractatus de Operे sex dictam*, in quarto.

*Tractatus de primo Parente*, in quarto.

*Tractatus de Divina gratia*, in quarto.

*Tractatus de Justificatione*, in quarto.

*Tractatus de Merito*, in quarto.

*Tractatus de Dominica Incarnatione*, in quarto.

*Tractatus de Diversis Theojuridicis Questionibus ad Regularis spe-  
cialibus*, in quarto.

Hispanice autem *Sermones Par-*  
*negrifici atque Morales*, in quarto.

310 D. ANTONIUS MELENDEZ BAZAN, Natione Mexicanus, apud Institutum S. Dominicum, quæ America nostra primas habet, ortus illustri gente, Juris prudentiæ daturus operam Mexicanum petijt in juventute, & Academico adscriptus albo, egregiâque imbutus doctrinâ Doctor Jutis Civilis creatus, atque apud Senatum & Cancellariam Regiam Causidicus titulo, re etiam adeo insignis evasit, ut nulli sua astate concesserit. A Quæstoribus Fidei pro carcerafatis tuendis Patronus delectus multi est habitus, nec minori à tribus successive Mexicanis Pro-Regibus, qui eum sibi voluere Consiliarium, Assessorumque juris dicendi causa, quo etiam munere multis functus annis splenduit apud Consules Mercatorum pro litibus & negotiis, quæ ab ipsis expediuntur commercij ratione, ad-

lego-

legum normam regulamque absolvendis. Sanè, præter omnigenam juris eruditionem, qua eminebat, atque in historiâ & amœnioribus litteris peritiam, judicio ac prudentiâ conspicuus erat, atque in consulendo & judicando aqui rectique tenax, quamvis invidos passus qui Hæreli, ut ajunt, calumniam extruxerint apud Regni Visitatorem, qua demum à Supremo Indiarum Consilio liberatus suisque sedibus restitutus, & pro tempore, Universitatis, cui Rector præfuerat, Decanus in Facultate sua, Sapientum calculis probatissimus, astateque proiectus obiit 24 Novembris 1741. E multis scriptis ejus publica fure luce donata quæ sequuntur patrio sermone.

*Libellus Supplex pro D. Maria Anna Philippa de Cantabiana, hereditatem quandam ab intestato nepote sibi debitam postulante*, Mexici, ex Typographia Videlæ Francisci Rodriguez Lupercio 1714. in quarto. Folij 87. Extat tom. 17. Collectionis D. Ludovici de Mendoza, & nostrarum tom. 60. in quarto.

*Expositio Juris Regij Tribunali Consulatus Mexicel pro exigendis certis vestigialibus*. Mexici, apud Hæredes Joannis Josephi Guillema Carrasco 1718. in fol. Extat tom. 9 Collect. nostrarum.

Meminit ejus multa cum laude Sapientissimus P. Nicolaus de Segura Societas JESU in Tom. suo de Contractibus in genere &

Testamentis p. 581. ubi fragmentum Epistolæ satis in jure docta pro instituto suo adducit à nostro conscriptæ.

+ 311 D. ANTONIUS MELO, Natione Mexicanus & Patria, Collegij Seminatij Metropolitanæ Ecclesiæ à S. Paulo & Purissimâ Conceptione nominati alumnus, atque Philosophia & Theologia laureis in Universitate Mexicea insignis, ejusdem Pauliani Athenei Cathedras rexit Latinitatis primum, mox Philosophia, quam triennio auditoribus publice dixit, conscripto ad id munericis Philosophia Cursu juxta PP. Thomistarum Systhema completem

*Summulas & Logicam, Physicam & Metaphysicam, Librosque de Ortu & Interitu, de Calo & Mundo.*

Circumfertur MSS Discipulo-  
rum Authoris manibus.

312 EXCMUS. D. D. ANTO-  
NIUS DE MENDOZA, Natione His-  
panus, longo 17 annorum domi-  
cilio & multo merito Mexicanus,  
Eneci Mondexarensis Marchio-  
nis filius, D. Didaci de Mendoza

frater, primus fuit qui Pro-Regis titulo Nova-Hispaniæ clavum tenuit, & vero etiam auspicatissime gubernavit. Anno 1535 eo quem diximus nomine & Ducis Genera-  
lis insimul thesauri, Mexicu ad-  
dectoris, detectis nuper vaftissimis Re-  
gnis in politicis una & christianis  
ritibus instituendis mirum ad-  
laboravit. Prudentiâ erat insi-  
gni,

gni, singularique probitate, quibus prædictis dotibus, & se dilectum Indis atque Hispanis exhibuit, & Regis Catholici dominia firmavit & auxit, ac, quo nihil habuit antiquius, Dei gloriam animarumque salutem admirabili zelo promovit. Geminis in hos fines Clastes instruxit, è quicis alteram ad Philipinas Insulas anno 1545. quamvis infelici successu, infido, nec satis agnito mari commisit; alteram versus Californiae ad anno 1539 ad 1541. quas Franciscus de Alarcon navium Imperator invisit, scripta que narratione Americanis palam dedit, & Europeis; eodem tempore Francisco Vásquez Coronado rem terrestri itinere procurante, atque in veterem per novam Mexicanum revertente. Turbatis Peruvicis gentibus, earumque Gubernatore à Mexicanis supprias postulante, eas ut prelato ferret, Legiones supplevit, sexcentisque militibus D. Franciscum de Mendoza filium suum præfecit, quamquam in procinctu omnibus, receptui cecinerit, quod pacatas in Meridionali America res agnoverit, ipso qui auxiliū postulaverat Præside id per litteras enunciante.

313 Americam quod attinet nostram curæ sua demandatam magna ex parte lustravit, totique fovendæ protegendæque incubuit. Pecuaria, armenta, idque genus alia, ex Hispanijs adducta, in optimis Regionibus, & eis alendis

aliquidisque aptissimis, diligenterissime curari fategit, felici adeo successu, ut credi vix possit quantum deinceps excreverint, tantum expatiata ut non Provinciæ modo sed Regna condì multa possint his in agris, & latifundijs, quæ pecudibus sunt destinata. Monetam ex ære primùm cudi mandavit Mexici, quæ cum displicebat assuetis auro & argento familiariter uti, rejecta ab ipso fuit, eusque argentea, mox etiam aurea, tantà in posterum copiâ, ut non Europa tantum, sed totus propemodum Orbis Mexicanis nummis, argenteis, uncialibus, alijsque pretiosis monetis abundaverit, atque etiamnum incredibili opulentia ditescat. Multæ ea tempestate argenti fodinae detectæ fuere; nec ipse tantum Nostri vigilantiâ decretisque exultæ, sed Officinæ quoque, textrinaque pro lanceis vestibus in primis, usum incremetumque habuere. Sævissima pestis Indos invaserit anno 1545 quæ latissimè scorpens absulpsit inumeros, & Antonius ægrotantibus quidem prælato fuit auxilio, paternâ misericordia subveniens. Omnia, hercule, circūspiciebat, opportunisque operibus Reipublicæ commodis vigilabat, propterea optimè de ipsa meritus. Ut litteris etiam excoloreret, apud Cæarem Carolum V. Hispaniarum potentem egit, quantum & Religioni & Regno profutura foret exponens Universitas Scientiarum, si instar Salmant-

censis & aliarum Europa florentium, Mexici erigeretur, qua non multo post dextero sydere instituta est. Prius vero dilectissimus homo curaverat Typographiam in Novum hunc Orbem ex antiquo deferrit, ptimumque Typographum Mexici instituit, cuius formis multi statim libri excudi cœperunt. His multisque incumbentem Nostrum alijs, postquam 17 annos pace iustitiae florentem Mexicanam moderatus fuerat ditionem, anno 1551 Pro-Regem in Americam alteram destinatum nostra multis abeuntem lachrymis prosecuta est, uberioribus autem longè ipsum biennio post flevit, quod postremam obiecit diem. Ejus, egregiâ cum laude, meminere Torquemada in Monarchia Indica tom. 1. lib. 5. à cap. 11. à pag. 608. editio- nis Madritanae 1723. Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci fol. 233. n. 815. Betancurt in Tractatu Civitatis Mexicæ pag. 7. n. 27 & seq. Aegydius Gonzalez in Theatro Ecclesiæ Mexicanæ pag. 23. corrigendus quod dixerit adductam Typographiam primam in Mexicanum anno 1532 à Nostro, qui non dum rerum potiebatur Americae hujus. Alios prætermittimus, ut ascramus & D. Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispaniæ Novæ tom. 1. p. 113. & D. Antonium de Leon in Occidentali. Et Nicolaus quidem Nostrum propterea Scriptorum albo insertum existimat,

quod conscribi fecerit, non ipse conscriperit librum hispano sermone

*De naturalibus rebus & mirabilibus Nove Hispaniæ, cuius Operis meminit Leon Pinclus. Hic vero prater hoc Opus quod MSS refert col. 873. edit. novissima, col. 827. recenset ab illo profes- cas*

*Ordinationes legumque collecti- nem pro Conventu Juri- dico Mexi- cano. Mexici 1549. in fol. Quibus accedunt. Epistola quas ci- tata col. 873. insinuat non tam aperit. Invenimus vero apud Lasfor Avarea in Orbe Terrarum Scriptorum calamo delineato T. 2. verbo Nova Hispania p. 267. Litteram ex hispano in italam versam idioma, quæ sic habet latino*

*Epistola ad Imperatorem de re- cens apertis Regionibus in Hispa- niâ novâ Aquilonem versus. Vene- tij 1565.*

+ 314 F. ANTONIUS DE MEN- DOZA, Natione Mexicanus, cujus natale solum inclita Equi- tum Civitas Goatema, Parentes & ipsi nobilitate clari, Ordinem S. Francisci imjt in patriâ Provinciâ à SS. IESU nomine nun- cupata, in qua statim lumine propheticò insignis est habitus, proptereaque à multis consultus in arduis, quodque cœlesti, quo vi- debatur afflatus æstro, peritiam in moralibus minimè vulgarem adjunxerit. Aegrè quidem ferebat honorem his sibi nominibus